

vocati de consilio Ubertus de Burgo, Arnaudus, Ugonis, & Ogerius scriba; ego Petrus Notarius Sacri Palatii rogatus hanc chartam scripsi factam a prædicto Petro, sicut in ipso inveni, & in ipso scripsi exemplo nihil addens, vel minuens præter forte punctum, literam, vel sillabam.

(1) Adde unitatem, & omnia consentanea erunt, sic erit VII. octobris, quæ erat dies Mercurii.

*Præceptum Regis civitati Alexandria
ne offendant civitatem Aquensem.*

160

MCCXX.

Anno Domini MCCXX., indictione VIII., die Veneris X. cal. novembris in palatio Episcopi Placentini, præsentibus Ruffino de Wiliol, Arnaudo Rapa, & D. Manfredo de Uxetio testibus rogatis. Episcopus Metensis, & Spirensis Domini Regis Cancellarius, & Jacobus Taurinensis videntes, & cognoscentes Dominum Regem recepisse civitatem Aquensem, Episcopum ejusdem, & Episcopatum in suam protectionem, & defensionem, præceperunt ex parte Regis Potestati, & Ambaxiatoribus Alexandria, ne aliquatenus offenderent civitatem Aquensem, Episcopum, aut Episcopatum in rebus, vel personis. Unde D. Anselmus Aquensis Episcopus chartam fieri rogavit. Ego Ruffinus Notarius Sac. Pal. interfui, & hanc chartam rogatus scripsi. Ego Ubertus Not. Sac. Pal. ec. Ego Henricus Not. S. Pal. ec. Ego Petrus Not. S. Pal. ec.

*Literæ Guidonis Pœnitentarii S. P.
de Ottoboni absolutione.*

161

MCCXXI.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXI., indictione IX. de Sabato X. mensis aprilis (1), in claustris majoris Ecclesiæ Alexandrinæ. Ottobonus porrexit literas Domino Archipresbitero ejusdem Ecclesiæ, quas ipse benigne recepit tenor, quarum hic est. Venerabilibus viris capitulo Alexandrino fr. Guido Domini Papæ Pœnitentarius salutem in Domino. Cum moliente humani generis inimico Ottobonus lator præsentium per quosdam Pseudo-prophetas sua simplicitate detentus erroris promissis allectus, qui sub spe benignitatis animas a via divertunt fidei Christianæ, olim in quibusdam fidei articulis dubitavit, & tandem per discretos viros Apostolicæ Sedis quasi Teodoctum vere ad gremium matris Ecclesiæ sit reversus, auctoritate Domini Papæ ad vos eum tamquam Catholicum membrum Ecclesiæ spirituale duximus remittendum ut ipsum instructum vera fide per Ecclesias vestræ civitatis publice nuncietis, & ab excommunicatione si quam ipse incurrisse se dicebatur, penitus absolutum.

Univerſo capitulo Alexandrinæ Ecclesiæ amicis venerabilibus, dilectisque, Henricus divina miseratione Bononiensis Episcopus, æternam in Christo salutem, noveritis quod lator præsentium Ottobonus, qui olim in articulis fidei dubitavit absolutum sicut Pœnitentarius Domini Papæ nobis suis literis declaravit, quas videre poteritis. Venerabili in Christo Patri Dei gratia Bononiensi Epi-

scopo frater Guido Domini Papæ Pœnitentarius salutem in Domino. Cum molientem reliqua ut supra, eo excepto, quod ubi in literis ad Alexandria capitulum per Ecclesias suæ civitatis, hic per scholas civitatis Bononiensis nunciare absolutionem jubet.

(1) In exemplari ad me olim Alexandria transmissio, ex quo hoc documentum desumsi, erat annus 1220, sed in autographo absque dubio fuit scriptum 1221. Hoc enim anno erat indictio nona, & sabati dies cum decima aprilis concurrebat: minime vero si annum detrahas.

*Sententia Canonorum Parmensium in causa
delegationis inter capitulum, & monasterium
Aquense circa jura Parochialia.*

MCCXXIII.

162

Anno Domini MCCXXIII., indictione II., die lunæ XXX. octobris in Castelleto Aquis D. Anselmus Dei gratia Aquensis Episcopus de consensu D. Lanfredi Sindici Canonorum Aquensium, & D. Arnaldi Monachi, & Sindaci Monasterii S. Petri Aquensis appareat consilium munitum sigillo D. U., & D. Ja. Doctorum legis, & magistri M., & D. Sichebaudi Canonorum Parmensium, quod consilium idem Episcopus jussit mihi Petro autenticare, & in publicam formam redigi; cujus tenor talis est. In nomine Domini consilium sapientum scilicet D. U., & D. Ja. Doctorum legum, & magistri M., & D. Sigebaudi Canonorum Parmensium tale est: visa petitione Sindaci Canonorum Aquensium, visis positionibus, & responsionibus, attestationibus, instrumentis, & privilegiis, & omnibus rationibus, & allegationibus tam actoris, quam rei, & diligenter examinatis, & perscrutatis sic dicunt: quod Abbas, & Monaci, & Sindacus eorum pro prædictis, & monasterio esse condemnandos prædictis, & Canonicis, & eorum Sindaco secundum formam petitionis in libello comprehensam, salvo jure Capellani monasterii, secundum quod D. Ugo quondam Aquensis Episcopus in suo statuto, sive dicto decrevit, & ordinavit. Interfuerunt testes Willelmus Serdo, Manfredus Bocaz, Jacobin Bocaz, Albertus scriba, & Jacobus Not. Ego Petrus Not. ec.

Sententia D. Anselmi Ep. Aq. in eadem causa.

MCCXXIII.

163

Anno Domini MCCXXIII., indictione XI., die lunæ III. octobris (1) præsentibus D. Willelmo Dodonis, Manfredo Bocaz, Jacobino Bocaz, Alberto Not., & P. Lavagio testibus, D. Anselmus Dei gratia Aquensis Episcopus post multas ammonitiones factas D. Lanfredo Sindico Canon. Aquen., & D. Arnaudo Monacho, & Sindico Monasterii S. Petri Aquen. de concordia, & de ipsarum partium consensu idem Episcopus pervenit ad sententiam, & inter eos cum consilio assessorum suorum scilicet D. Jacobi de Valle, & magistri Henrici sententiando definivit, & jussit inde chartam fieri. Ego Petrus Notarius ec. Ego Ubertus Galea ec.

(1) Forte omissum calendas, alioquin non III., sed XXX. legendum; & ita reperi in exemplari quondam D. Turrii.